

ratus terit, & ad vitam æternam *angusti* illius itineris, quod *pauci* reperiunt, cal-
lis tenendus est. Deposuisti jam impedimenta vel maxima, & omne, quicquid a
spiritualis vitæ cursu vel retardat, vel revocat, primâ statim conversione vicisti.
Respuisti conjugii voluptatem, posteritatis curam, illecebras deliciarum, seculi
Ad Gal. 6, pompam, divitiarum cupidinem, & cum Paulo potes dicere: *Mihi mundus cru-*
14. *cifixus est, & ego mundo.* Cujus tale principium est, qualis debet esse perfe-
ctio? Hanc mihi tu virtutem, hunc animum etiam in reliquis affer, eâque vi men-
tis, quâ vitiorum occasiones depulisti, vitia nunc ipsa respue. Ornetur morum
sanctitate virginitas, & perfectum gradum vitæ perfectio subsequatur. Certè si
secularis vita tibi placuisset, dares operam, ne quis te divitiis, ne quis corporali-
bus ornamentis, ne quis rerum omnium copiâ & honore præcederet: * & nunc
diversitas studii diversam vitam desiderat. Cura, ne quis te in bene vivendo tran-
scendat, ne quis morum sanctitate superet, ne quis tibi in virtutibus præferatur.
Et in illis, quæ antè diximus, non erat tuum, ut aut tu omnes vinceret, aut nemo
te. Cuncta enim illa foris petuntur: & quicquid aliunde speratur, alienum est.
Hæc verò in tua potestate sunt, & verè propria, quæ non extrinsecus veniunt, sed
in ipso corde generantur. Illa enim nec omnis, qui quærit, invenit, nec qui in-
venerit, semper tenet: quia, ut ea commodare; ita & eripere calus potest. Hæc
autem & omnis, qui quærit, invenit, & qui invenerit, eripi sibi nunquam timet.
Ista enim sola bona sunt, quæ sine voluntate nec invenimus aliquando, nec per-
dimus.

CAP. XI. Habes ergo * hic, per quæ meritò præponaris aliis: imò hic magis. Nam
corporalis nobilitas atque opulencia tuorum intelliguntur esse; non tua: spiritua-
les verò divitias * *nullus tibi, præter te,* conferre poterit. In his ergo jure
laudanda, in his meritò cæteris præferenda es, quæ, *nisi ex te,* & in te esse non
possunt. An sola ista vita est, quæ certamen non habeat de profectu, & in qua
unusquisque hoc tantum * debeat permanere, quod cœpit, nec ullo augmenti
desiderio ad majora contendat? Et cum in omnibus mundi studiis profectu non
satiarentur homines; hinc tantum cœpisse sufficere? Ferventissimi in terrenis, frigi-
dissimi in cœlestibus sumus, & summam in rebus parvis exhibentes alacritatem,
ad majora torpescimus. Considerare pudet, quantus sit fervor in seculo, quâ
curâ singula quæque studia hominum quotidie ad perfectiora nitantur. Litera-
rum ardor nullâ prorsus ætate extinguitur; imò (ut secularis auctoris utar senten-
tiâ;) *ipsa magis ætate inflammatur.* Divitiarum amor insatiabilis est, expleri
nescit honorum cupido, celerem habituræ res finem sine fine quæruntur. Nos
divinam sapientiam, cœlestes divitias, immortales honores, pigrâ quadam dissi-
mulatione negligimus, & spirituales divitias aut ne attingimus quidem, aut, si le-
viter degustaverimus, continuo nos putamus esse satiatos. Aliter nos divina sapi-
entia ad suas invitat epulas. *Qui edunt me,* inquit, *adhuc esurient, & qui me*
bibunt, adhuc sitient. Nullus unquam talibus expletur epulis, nec ali-
quando patitur de satietate fastidium. Tanto unusquisque capacior, tanto avi-
dior erit, quanto inde plus hauserit. Dominus in Evangelio; *Beati,* ait, *qui e-*
surunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Vult enim esurire
nos hic semper ac sitire justitiam, ut in futuro justitiæ retributione satiemur.

CAP. XII. Consideranda vis ipsa verborum est, & ita nobis desideranda est justitia; ut
in fame vel siti cibus desideratur ac potus: & hoc omnibus in commune est dicen-
dum his, qui immortalis vitæ * præmia desiderant. Jam tuum est æstimare,
quantum

* al. nunc
quoniam
div. st. d. v. d.
cura,

* al. & hic
* Verba
hæc Augu-
stinus in e-
pist. 143.
commemo-
ravit & re-
futavit.

* al. ha-
beat.

Sir. 24, 29.

Matth. 5, 6.

* al. pro-
missa,